

ipsi vel manifesto improbi erant, vel ad speciem magis, & ostentationem, quam veram solidamque pietatem compositi.

§. XIV. Sub novi foederis initia diviniore coetus doctrina quidem, & moribus, exquisitè exsplenduit, quum sermo Dei cresceret, ac multiplicaretur discipulorum numerus *Act. VI, 7.* cum perseverarent in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus *c. II, 42.* cum multitudinis credentium cor unum esset, & anima una *Act. III, 32.* quum Romanorum fides *ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ* prædicaretur, *Rom. I, 8.* cum Corinthii ditati essent, *ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει* *1. Cor. I, 5.* Quum Ephesii & Colossenses fidem in Christum, & charitatem erga omnes sanctos ostenderent *Eph. I, 15. Col. I, 4.* Interim, qua mundiæ doctrinæ, seculo jam tum secundo, splendorem imminui cœpisse ex *Egesippi* fragmento apud Eusebium *L. III. c. 32. f. m. 104.* discimus, qui scribit: *Ecclesia, usque ad Simeonis Cleophae, Episcopi Hierosol. tempora instar cujusdam virginis, integra atque incorrupta permansit: adhuc in obscuro recessu delitescens, quicumque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare nitebantur. Sed postquam sacer Apostolorum coetus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant: tunc demum exorta est impii erroris conspiratio, fraude & malitia falsorum doctorum, qui, utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, post hæc nudo, quod ajunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt. Quæ verba, etsi *Valesius* in suis ad h. l. observat. f. 55. male ad totam Ecclesiam extendisse putet Eusebium, quum de una Hierosolymorum Ecclesia locutus fuerit Egesippus, & certum sit,*

Eccle-